



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 35. An propositiones illæ damnentur, quæ vel continentur sub damnatis, vel inferuntur ex damnatis, vel ex quibus aliqua damnata inferri potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

quoad libros prohibitos, dicitur, quando de Censuris: an autem declarationes Cardinalium, Regulæ Cancellariæ, decisiones Rotæ vim habeant legum, dicitur à n. 574.

Q. 35. *An propositiones illa damnentur, qua vel continentur sub damnatis, vel inferuntur ex damnatis, vel ex quibus aliqua damnata inferri potest. R:*

§. I. Ex eo, quòd universalis sit damnata, non ideo damnata est particularis sub ea contenta, quia potest universalis esse falsa & particularis vera, v. g. nullum præceptum obligat sub mortali, est falsa & damnabilis; aliquod præceptum non obligat sub mortali, est vera & non est damnabilis.

§. II. Illa propositio, ex qua evidenter inferitur propositio damnata, censeri debet falsa & improbabilis practicè, quamvis non sit expressè damnata, quia propositio damnata, quæ inferitur, est falsa, ergo etiam illa, ex qua inferitur, censeri debet falsa, quia, secundùm regulam dialecticæ, ex vero non potest sequi falsum, ergo si damnata, quæ inferitur, sit falsa, altera, ex qua inferitur, non potest esse vera; e. g. præceptum servandi festa non obligat sub mortali, est damnata, ergo etiam hæc, ex qua inferitur, nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, erit falsa & improbabilis practicè. *Conf.* quia contradictoria damnatæ debet esse vera, ergo hæc debet esse vera, præceptum servandi festa obligat sub mortali, ex hac autem evidenter inferitur, ergo aliquod præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, ergo hæc contradictoria, nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, erit evidenter falsa.

§. III. Propositio, quæ inferri potest ex damnata, non ideo censeri debet damnata vel improbabilis, quia dialectica dicit, quòd ex falso potest sequi verum, ergo ex eo, quòd inferens sit falsa, non sequitur,

quitur, quòd illata secundùm se sit falsa, v. g. præceptum servandi festa non obligat sub mortali, ergo qui per quadrantem laborat die festo, non peccat mortaliter; hoc consequens secundùm se est verum, & tamen rectè infertur ex antecedente falso ac damnato: Item, non tenemur proximum diligere actu interno, est propositio falsa & damnata, & tamen hæc illata, ergo non tenemur omni momento proximum diligere actu interno, est secundùm se vera & non damnabilis.

224 §. IV. Propositio, quæ infertur ex contradictoria propositionis damnatæ, est vera, quia contradictoria propositionis damnatæ est vera, ex vero autem non potest inferri nisi verum, v. g. contradictoria damnatæ est hæc, præceptum servandi festa obligat sub mortali, consequenter illa inde illata, præceptum servandi festum S. Andreæ obligat sub mortali, etiam est vera, videri potest *Carden.* in 2. crisi d. 1. c. 4 Circa propositionem, de qua dubitatur, an sit damnata, vide dicenda n. 890.

225 Q. 36. *Quomodo peccet, qui non observat decreta facta circa propositiones damnatas.* R.

§. I. Qui docet vel defendit aliquam propositionem damnatam, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem majorem Papæ reservatam, uti constat ex verbis decretorum: neque in hoc est parvitas materiæ, semper enim grave est resistere doctrinæ Romanæ Cathedræ.

226 §. II. Etiam peccat mortaliter, qui alteri suadet, ut decreta illa non recipiat, uti mortaliter peccat, qui cunque alteri suadet, ut ne obtemperet præcepto graviter obliganti, est enim grave præceptum & obligatio illa decreta recipiendi, uti patebit ex dicendis.

227 §. III. Qui mente non dissentit à doctrina illorum